

240

238

244

234

249

229

289

189

339

139

Ende

Anfang

229

Secundum malum illius terrae est frequentia terrae motuum,  
quibus quasi quotidiane dejiciuntur aedificia et grandes civitates in  
ruinis jacere cernuntur.

Tertium malum est aëris infectio tanta, ut quasi omnis  
homo ibi febricitet certis temporibus et pestilentia ibi saepe gras-  
setur. Unde inter avisamenta peregrinorum est illud praecipuum,  
ne moram trahant in Cypro, ut non inficiantur. Hanc autem in-  
fectionem dicunt aliqui ideo esse, quia mons Armeniae et Cau-  
casus et Taurus prohibeant ventos salubres a Cypro, sive aëri  
crasso subsit et insano. Sed hanc rationem nón aestimo veram  
esse, cum praedicti montes longe a Cypro sint distantes retro  
Ciliciam, Syriam et Phoenicen. Nec de malo et infecto aëre  
inculpatam legi Cyprum in aliquo libro authentici auctoris, sed  
tantum in libellulis militum Almanorum. Et si montes Armeniae  
causarent infectum aërem, prohibendo causam sanitatis, sem-  
per fuisse ibi malus aér, et ita Japhet, filius Noae, stultus fuisse  
quod eam regionem p̄ae omnibus elegisset; nec illa delicatissima Venus in eam enatasset, nec Belus, nec Pygmalion, nec  
Paphus, homines nobilissimi, ibi sedes posuissent suas. Credo  
autem, aërem non esse malum, sed disproportionatum Teu-  
tonicorum, qui nati et enutriti in aëre duro, frigido, consum-  
tivo, non possunt bene vivere in aëre subtili et tenui, in quo  
eorum intemperatae comediones et potationes consumi nequeunt.  
Porro si incolae dicunt, ibi esse aërem infectum, et si de  
facto ita est, pro certo non ex naturā, sed ex Dei plaga hoc  
terrae illi accidit, sicut et terrae sanctae maledictio illa advenit.  
Potius autem credo, quod sit unum fictitium et quod ideo illam  
regionem exosam reddant, ne rursum regnum Hierosolymitanum  
per Christianorum (b) principes resuscitetur et rex ibi aliquis  
constituatur, de quo insulae possessores moderni nec verbum vo-  
lunt audire, et ad hoc sunt per insulam de praesenti certi, qui  
circumeunt per loca, et si aliquem audierint lóqui de rege resti-  
tuendo vel regimini moderno detraxerint, statim vinceti mittuntur  
Venetas ad reddendum rationem senatui. Unde in prima pere-  
grinatione mea multis diebus in insula degens vidi in civitate  
Nicosina quendam fratrem ordinis nostri per civitatem in mulo  
ornato frequenter spatiantem, ac si fuisse episcopus, et in nostro  
recessu intravit ad nos in galeam cum quibusdam reginae clienti-

